AUGUSTINUS

Admont, Mitte 12. Jh.

Seite 32v

Quelle: https://manuscripta.at/?ID=25972
Copyright: Admont, Benediktinerstift

et ipsi laborauerunt, et filios suos elaborare compellunt. Qui autem succensent, quod
me terrent si ego dicerem quod Sallustius ait: Plurimae turbae et seditiones, ad postre-
mum bella ciuilia orta sunt, dum pauci potentes quorum in gratiam plerique concesserunt
sub honesto patrum aut plebis nomine dominationes affectabant, bonique et ma-
li ciues appellati non ob merita in rem publicam, omnibus pariter corruptis, sed ut quisque locu-
pletissimus et iniuria ualidior, quia praesentia defendebat, pro bono ducebatur. Porro si
illi scriptores historiae ad honestam libertatem pertinere arbitrati sunt mala ciuitatis suae
propriae non tacere, quam multis locis magno praeconio laudare compulsi sunt, cum aliam ue-
riorem, quo ciues aeterni legendi sunt, non haberent, quid nos facere conuenit, quorum spes quanto
in deo melior et certior, tanto maior debet esse libertas, cum mala praesentia Christo
nostro imputant, ut infirmiores inperitioresque mentes abalienentur ab ea ciuita-
te, in qua sola iugiter feliciterque uiuendum est? Nec in deos eorum horribiliora nos dicimus
quam eorum identidem auctores, quos legunt et praedicant, quandoquidem et ex ipsis quae diceremus
accepimus, et nullo modo dicere uel talia uel cuncta sufficimus. Vbi ergo erant illi dii, qui propter ex-
iguam fallacemque mundi huius felicitatem colendi existimantur, cum Romani, quibus se co-
lendos mendacissima astutia uendicabant, tantis calamitatibus uexarentur? Vbi erant,
quando Valerius consul ab exulibus et seruis incensum Capitolium cum defensaret occisus est,
faciliusque ipse prodesse potuit aedi Iouis, quam illi turba tot numinum cum suo maximo
atque optimo rege, cuius templum liberauerat, subuenire? Vbi erant, quando densissimis
fatigata ciuitas seditionum malis, cum legatos Athenas missos ad leges mutuandas
paululum quieta opperiretur, graui fame pestilentiaque uastata est? Vbi erant, quando rursus populus
cum fame laboraret, praefectum annonae primum creauit, atque illa fame inualescente
Spurius Melius, quia esurienti multitudini frumenta largitus est, regni affectati crimen
incurrit, et eiusdem praefecti instantia per dictatorem Lucium Quintium aetate decrepitum a Quinto
Seruilio magistro equitum cum maximo et periculosissimo tumultu ciuitatis occisus est?
Vbi erant, quando pestilentia maxima exorta diis inutilibus sine remedio populus diu
multumque fatigatus noua lectisternia, quod numquam antea fecerat, exhibenda arbitra-
tus est? Lecti autem sternebantur in honorem deorum, unde hoc sacrum uel potius sacrilegium nomen
accepit. Vbi erant, quando per decem annos continuos male pugnando crebras et mag-
nas clades apud Veios exercitus Romanus acceperat, nisi per Furium Camillum tandem
subueniretur, quem postea ciuitas ingrata damnauit? Vbi erant, quando Galli Romam ce-
perunt, spoliauerunt, incenderunt, caedibus impleuerunt? Vbi erant, cum illa insignis pesti-
lentia tam ingentem stragem dedit, qua et ille Furius Camillus extinctus est, qui rem publicam
ingratam et a Veientibus ante defendit et de Gallis postea uindicauit? Inde in hac
pestilentia scaenicos ludos aliam nouam pestem non corporibus Romanorum, sed, quod est multo
perniciosius, moribus intulerunt. Vbi erant, quando alia pestilentia grauis de uenenis matro-
narum exorta esse credita est, quarum supra fidem multarum atque nobilium mores
deprehensi sunt omni pestilentia grauiores? Vel quando in Caudinas furculas a Samnitibus